

Universitätsbibliothek Wuppertal

**PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| &
Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||**

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia
confecti

Plutarchus

Francoforti ad Mœnum, 1592

Galba

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-360)

15 Iunioris vxorem corrupit.] *Linus libro 27. de Philippo loquens: Vni etiam, inquit, principi Achaorum Arato adempta vxore Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat. De ceteris vide Polyb. lib. 4. 5. 8. & Pausaniam in Corinthiacis. Paulo superius haec verba, ἐγὼ διαμαρτάνων τὸ πάντος ἐφίλιππον, Lapis corrupt. & videtur nullo sensu legisse πατέρος. Significant autem Philippum sensisse, quod posthabito Arato res aggressus, tota aberrasset via.*

16 Ut defungantur suo officio.] ἐξορίσμενοι. Lapis ¹⁰ valde absurdè vertit Expiati. quae tamen interpretatio etiam in Graecia irrepfit Lexica, hinc (opinor) petita. Est autem ἐξορίσμενοι, idè quod quod ἀποστῆδου, quo in Pericle & Cimonè vsus est verbo autor noster. ἀποστῆμεν & τὸν περὶ ὅλων: id est, vt muneri sibi mandato vt cunque, & perfunctoriè ¹⁵ (quod aiunt) satisfaceret. Ita hic dicit Sicyonios, cum plebrosque ritus sacrorum in honorem Arati institutorū omitterent, quaedam tamen, vt defungi suo pietatis officio viderentur, quotannis celebrasse.

PLVTARCHI GALBA, GVILIEL-

mo Xylandro, Augustano, interprete.

*De militibus & du-
cibus.*

IPHICRATES quidem Atheniensis in mercenario milite cū diuitiarum tum voluptatum cupiditatem requirit: vt sumptus quarens, qui ad voluptates perfrundas suppeditent, tanto audaciùs pericula adeat. Plerique exercitum veluti validum corpus, nullo proprio impetu, sed ducis tantū motibus cieri debere asserunt. Quapropter ferūt *Emilium Paulum*, cū ³⁰ is exercitum in Macedonia accepisset loquacitatis & curiositatis plenum, & se curis muneribusque imperatorij ingerentem, praecepisse ei, vt vnusquisq; manum promptam, & acutum gladium praestaret: sibi reliqua curae fore. *Platoni* etiam bonum ducem nihil efficere posse perhibeti, nisi eodem modo affectum & moderatū habeat exercitum, virtutemq;

temq; obtemperandi haud minus quàm regiam existimâti
indigere generosa indole, & educatione philosophica, quæ
præsertim concinnè temperet mâsuetudine vehementiam
iracundiâmq; animi: cùm alijs multi casus testimoniû per-
hibent, tum ea quæ post Neronis obitum acciderût Roma-
nis, ostenduntq; ea nihil esse in imperio terribilius exerci-
tu, qui impetib. ab imperitia profectis, nullâq; ratione aut
consilio coercitis feratur. Demades Macedonicum exerci-
tum Alexandro vita functo Cyclopi excæcato conferebat,
10 videns eum multis inordinatis & incertis agitari motibus.
Romanorum verò imperium ijsdem affectum est malis atq;
motibus, quib. Titanas ferunt: simul & in multas diuulsum
partes & in sese passim mutuò incidens, neq; id tantum am-
bitione designatorum imperatorum, quantum auarieia &
15 libidine militû, imperatorem imperatore, veluti clauû cla-
uo expellentium. Dionysius Pheræum illum, qui tyrannide
per decem tantum menses in Thessalos obtenta interfectus
fuit, Tragicum vocabat tyrannum: subitæ mutationi illu-
dens. At verò Palatium, Cæsarum domus, breuiori temporis
20 spacio quatuor Imperatores excepit, militib. tâquã in scena
modò introducētib. aliquem, modò educētib. Id vni-
cum consolabatur eos qui in calamitatem inciderât, quòd
non aliam vindictam expetendam sibi ab autoribus malo-
rum, sed ipsos ab seipsis interfici cernebât. Primus eo modo
25 pœnas luit Nymphidius Sabinus, & quidem iustissimas: qui
primus animos hominum inescauerat, docuerâtque muta-
tione Cæsaris magnum præmium quærere: & pulcherrimû
facinus, defectionem scilicet à Nerone, mercede promissa
in prodicionem verterat. Is enim Nymphidius, præfectus (v-
30 ti demonstrauius) aulæ cum Tigellino, vt primùm Nero
rebus suis deploratis videbatur in Ægyptum fuga abiturus,
perinde ac si is iam profugisset, militib. persuasit. vt Galbã
imperatorem crearent: promissitq; eius rei gratia aulicis &
prætorijs (vt vocant) militib. vititum denarios septies mille,
35 d. ijs qui in prouincijs militabant, M C C L. quam pecuniam
nisi plurib. quam Nero maleficijs totum humanum genus
affecisset, nullo modo comparare poterat. Ea promissio pri-
mùm Neronem, mox Galbam perdidit: quorum alterû spe
accipiendi prodiderunt, alterum quòd non pendebat nece-
uerunt, ac postea quærentes eum qui tantundem daret, prius
xxx quàm

Nymphidius.

quàm voto potirentur, inter defectiones & proditio-
 nes ipsi. Singula euēta commemorare, amplioris est hi-
 storia: quæ autē digna memoratu Cæsarib. acciderunt, præ-
 termittenda mihi nequaquam duxi Sulpicium Galbam pri-
 uatorum omnium opulentissimum in domum Cæsariū in-
 trasse constat. Cū esset autem ob nobilitatem gentis Ser-
 uitorum magni nominis, maiores tamē sibi sumebat spiritus
 propterea quod ad Catulum stemma suum pertineret, ho-
 minem virtute & gloria inter æquales primum, sed qui po-
 tentiam vltro alijs concessisset. Liuiam quoq; Augusti vxo-
 rem cognatione attingebat: eaq; ita operam dante, consul
 ex Palatio progressus est. Fertur cū exercitui in Germānia
 præclare præfuisse, tum ita proconsul Africam gubernasse,
 vt inter paucos laudē meruerit. Frugalitas eius in victu, &
 in sumptibus faciendis parsimonia imperium adepto tan-
 quam sordes vitio data est: ea enim inanis opinio modesti-
 æ eius temperantiæq; consequebatur. Missus est ad regendā
 Hispaniam à Nerone, nondum sibi à ciuib. magnæ existima-
 tionis metuere docto: vtq; eo minus timeretur, ad mansue-
 tudinem ingenij, qua præditus videbatur, senectus accede-
 bat. Cū autem scelerati procuratores Neronis crudeliter
 provincias lacerarent, quia nihil aliud poterat auxilij ferre,
 manifesta tamen sua miseratione & indignatione vt cūq;
 respirandi occasionem ijs qui damnabatur vendebanturq;
 præbuit cūque in Neronem carmina componerentur, &
 passim circumferrentur atque cantarentur, non prohibuit,
 neq; vt procuratores, indignè tulit. Propterea gravior erat,
 acceptiorq; hominib. iam diuturnitate etiā temporis fami-
 liaris factus. Octauū enim iam annum prouincia præerat,
 cum Iunius Vindex Galliæ præfectus contra Neronē insur-
 rexerit. Sanè ferunt ad eum à Vindice etiam antequam palam
 deficeret literas missas: quibus ille cum non fideret, non di-
 uulgasse tamē rem, neq; more aliorum fecisse, qui epistolas
 ad se scriptas ad Neronē miserunt, & quantum in ipsis fuit,
 consilia Vindici irrita fecerunt. qui ipsi tamen deinde cum
 eius actioni focios se adiungerent, facti sunt se non minus e-
 ius, quàm Neronis proditores fuisse. Sed postquam Vindex
 manifestum bellū parans ad eum scripsit, hortans vt imperi-
 riū susciperet, seq; valido corpori caput querēri imponeret,
 Galliæ nimirum, quæ c. hominū millia in armis haberet, &
 armare

armate plura posset: ibi tum Galba deliberationē cum amicis instituit. Pars eorum expectandum censebant tantisper dum apparet, qui motus Romæ ad nouas res existeret. T. autem Iunius prætoris cohortis dux, Quid deliberatis, inquit, ô Galba. Equidem quærere an Neroni fidem seruemus, iam seruantium est. Ergo Neronem pro hoste haud dubiè habentibus, nequaquã Vindicis societas est dimittenda: aut profectò accusandus statim est, bellòq; petendus, quate Romanorum imperatorem, quàm Neronem tyrannum esse maluit. Proinde edicto diem Galba indicauit, quo manumissioni esset vacaturus. interim rumor dissipatus multitudinem hominum acciuit, nouarum rerum cupidam. Itaque priusquam tribunal planè conscenderet, vna omnium voce Imperator est salutus. quo ille in præsentia nomine repudiato, in Neronē inuectus clarissimisque eorum quos ille necauerat deploratis, professus est se suam patriæ prudentiam vtendam dare, neq; vel Cæsaris, vel Imperatoris, sed legati S. P. Q. R. nomen accipere. Prudenter Vindicem egisse, quòd Galbæ summā rerum detulit, ipse Nero testatū fecit.

20 Simulans enim is se Vindicem contemnere, neq; quicquam curare motus Gallicos: simul ac de Galba inaudit, mesam, vt tum à balneo prandeat, subuertit. Veruntamen cum senatus Galbam hostem decreuisset, ludendi & se animum ostentandi causa amicis dixit, Non incommodum sibi pecunia indigenti consilium quasi omine quodam ostensum. nam & Gallorum subactorum bona sibi prædæ cessura: & Galbæ iam hostis iudicati opes vendere sibi licere. atq; hoc vt fieret, statim mandauit. Quo audito Galba bona Neronis, quæ is in Hispania habebat, proscripsit, multosq; ad emendum promptiores reperit. Cum a Nerone multi deficerent, omnesq; propemodum Galbæ se adiungerent, soli aliud in Africa Clodius Macer, in Gallia Germanicarum legionum præfectus Virginus Rufus, sed diuerso tamē consilio, agebant. Clodius, qui rapinis & cædibus grassatus fuerat, propter crudelitatem suam & auariciā eo in statu erat, vt constaret eum neque retinere, neq; dimittere imperium posse. Virginus potentissimarum præfectus legionum, & ab ijs sepe imperator salutus, neq; se imperium accepturum, neque cuiquam iniussu senatus tradi passurum affirmabat. Hæc initio haud mediocriter Galbam perturbabant. Sed

ubi Vindicis ac Rufi exercitus vi quodammodo duces, tan-
 quam aurigas habenarum impotentes, ad magnam confe-
 rendam pugnam perpulerunt: cum in ea Vindex xx. milli-
 bus Gallorum suorum amissis mortem sibi consciuisset, ru-
 morq; esset Rufi milites tanta victoria elatos in hoc consen-
 sisse, vt vel ducem suum Imperatorem crearēt, vel illo detre-
 ctante rursus ad Neronem deficerent: extremo in metu con-
 stitutus Galba, Virginium per literas hortatus est, vt sibi so-
 cium se adiungeret in libertate imperioq; Romanis confer-
 uando. Ipse cum amicis Cluniam Hispaniæ oppidum reuer-
 sus, magis pœnitentia factorum, & desiderio pristini cōsue-
 tique ocij, quàm rebus necessarijs parâdis deditus, tempus
 traxit. Erat tum æstas. Paulo ante occasum solis eò Siculus
 quidam peruenit libertus, septimo quâ Roma abierat die. is
 cum seorsum decumbere Galbam accepisset, illic eò ad con-
 clauē eius contendit, inuitisque cubiculatjs ingressus, re-
 nunciauit ei, Viuente etiamnum Nerone, sed latente, à mi-
 litib. primum, deinde à populo etiam & senatu Galbam Im-
 peratorem dictum: paulo pōst de obitu Neronis allatū nun-
 cium: cui tamen non antē fidem adhibuerit, quàm ipse ad
 cadauer accurrisset. eo viso demum se discessisse. Hic nunci-
 us Galbæ animum erexit: eòq; cōfirmatorum hominū mul-
 titudo ad ipsum confluebat. tametsi celeritas videbatur in-
 7 credibilis. Sed duabus post dieb. Titus cum multis alijs à ca-
 stris venit, singillatim ea q̄ decreuisset senatus annuncians.
 Atq; is quidem honestum ad locum euectus est: liberto ius
 8 aurei annuli Galba dedit, ac deinceps Marcianus Vicellus
 nominatus, primus potentia inter libertos fuit. At Romæ
 Nymphidius Sabianus non sensum aut palatim, sed simul ac
 semel totam ad fererum summam rapiebat, quippe & Gal-
 bæ senectutem (natus is tum erat annos lxxi. i.) exprobra-
 bat, ob quam vix satis virium haberet vti lectica Romā ge-
 staretur: & milites iam pridem bene erga ipsum affecti, ac tū
 ab vno dependētes, Galbam debitorem suum, Sabinum ob
 magnitudinem promissi donarij benefactorem putabant.
 Ergo Sabinus statim Tigellino collegæ suo mandat, vti glo-
 dium deponat: ipse conuiuijs consulares & principes viros
 excipit, Galbæ nomine eos à se vocari adhuc prætexens: &
 subornat multos, qui in castris autumarent, mittendos esse
 ad Galbam qui petant, vt Nymphidium perpetuum præto-
 rij præ-

*Nymphidi-
 dy cona-
 rius.*

sij præfectum absq; collega esse vellet. Aucta deinde homi-
 nis est confidentia senatus decretis ad honorem ei & poren-
 tiam facientibus, cum & benefactor appellaretur, & quoti-
 die ad fores eius concursans senatus, autorem eum senten-
 tiæ, ac confirmatorem decretorum rogaret. ita breui tem-
 poris spacio effectum est, vt non inuidiosus modò ijs qui eū
 colebant, sed & formidabilis existeret. Cum publicos famu-
 los consules destinassent, qui decreta ad Imperatorem per-
 ferrent, ijsq; ob signata diplomata tradidissent, quibus a-
 10 gnitis singularum vrbium magistratus dispositis vehiculis
 iter tabellariorū acceleraret: haud mediocriter indignatus
 est, q̃ non ab ipso militib. sigillòq; acceptis isti missi essent:
 cumq; de animaduertendo in consules iam deliberaret, ex-
 cusatione eorum & deprecatione est mitigatus. Populo au-
 15 tem vt rem gratam præstaret, liberum fecit, vt in quoscunq;
 Neronianos incidisset, eos ad supplicium raperet: Itaq; Spi-
 cillum gladiatorē statuis Neronis, quæ tum in foro trahe-
 bantur, subiectum necarunt: Aponium ex delatorib. vnū in
 vultum prostratum superinductis saxa vehentibus carris in-
 20 terfecerunt: multos alios discerpserunt, inq; his aliquot in-
 sonantes. ita vt Mauriscus vir & re ipsa & opinione optimus ad
 senatum dixerit. Vereri se, ne mox Nerone essent desidera-
 turi. Interim Nymphidius ad maiore subinde spem veniens,
 non abhorruit filius C. Cæsaris Caligulæ vocari. is enim, vt
 25 creditū est, adolescens adhuc cū Sabini matre rehauerat,
 muliere formæ nō inelegantis, quā prius vestes suere merce-
 de solitā Callistus eius libertus duxerat. Sed videbatur nato
 iā Nymphidio Caligula cū ea coisile: credebatūq; Sabinus
 Martiani gladiatoris filius, quem ob famam Nymphidia a-
 30 masset, & verò forma hūc magis referebat. Enimuerò Nym-
 phidiæ filium se esse professus, sibiq; soli excidium Neronis
 adscribens, neq; tamen satis præmij eam ob rem se adeptum
 putans, quod tantis honorib. affectus, tantas opes consecu-
 tus, cum Sporo Neronis (quem statim à rogo adhuc ardēte
 35 Nerone acciuerat: loq̃q; vxoris habebat, Poppæoq; ei no-
 men fecerat) dormiret: ad successionem imperij adspirauit:
 ac quædam ipse Romæ clanculum opera amicorum confi-
 ciebat, & mulieres quasdam, senatorijq; ordines viros: vnū
 de amicis suis Gellianum in Hispaniam misit, exploratum
 vt res se ibi haberent. Galbæ autem post mortem Neronis

omnia succedebāt. Virginius modò Rufus, de quo nihil certi constabat, anxii tenebat: ne qui præter hoc quod magno & fortissimo præerat exercitui; nuper etiam victo Vindice gloriam auxisset, Galliâq; , magnam Romani imperij partem, & ad defectionem inclinatam in sua haberet potestate, imperium deferentibus obtemperaret. neq; sanè tum quicquam maiori, quam Virginius Rufus, gloria fuit: existimabaturq; & molesta tyrannide, & Gallicis bellis sublati maximum reb. Romanis momentū attulisse. Verū is tunc institutum suum seruans, senatui electionem Imperatoris integram reservabat. quanquā Nerone mortuo & vrgeret rursus multitudo, & quidam tribunorum militū qui aderāt ad tabernaculum stricto ense eum vel Imperium, vel ensē admittere iussisset. Sed cū Fabius Valens vnius legionis dux, primus Galbæ vt Imperatori suos sacramento obligauit, li. 15 teraq; Roma, quibus S. C. continebatur, venerunt: magno quidem labore, sed tamen persuasit suis Virginius, vt Galbā Imperatorem agnoscerent: missumq; sibi successore Flaccū Hordeonium admittens, traditis ei copijs, ipse Galbæ iam accedenti occurrit, ac se comitem ei addidit, & neq; ira eius manifesta, neq; vlllo honore acceptus est. id fiebat partim, q; ipse Galba virum eum reuerabatur: partim quòd amici eius Virginiū inuidebant, præcipuè T. Iunius, qui dum se ei ob stare putabat, non animaduertit se bono Virginijs genio operam nauare, iam eum bellis alijsq; malis, quibus ceteri 25 erant obnoxij duces, subtrahenti, inq; vita tranquilla & securitate pacis ocijq; plena collocare molienti. Galbam apud Narbonem Galliæ vrbe missi à senatu Romano legati conuenerunt, salutatumq; horrati sunt, vt quāprimū populo ipsum desiderant se ostenderet. His se & in congressib. collo 30 quijsq; comem popularēmq; præbuit: & cū ad conuiuia multum splendidissimi apparatus suppeteret, quē ex Neroniana supellestili ei Nymphidius miserat, nihil illis, sed suis tantum vsus reb. laudē inuenit, magnanimusq; & ab ineptijs vulgarib. alienus est creditus. Mox autem Iunius præclaras, istas virtutes, ciuilemq; fastus vacuitatem populari aurē captandæ facere dicens, fictāmq; esse elegantiam: persuasit ei, vt pecunia Neroniana vteretur, inq; conuiujs splendorem regiū adhiberet. omnino autem Galbam senem apparebat sensim eò deductum iri, vt totus Iunij in potestate esset. Erat is Iu-

is Iunius non modò pecuniæ mancipium, ita vt nemo quif-
 quam magis: sed & impudicitia obnoxius. quippe iuuenis
 adhuc sub Caluifio Sabino prima merens stipendia, ducis v-
 xorem, mulierem impudicam, noctu veste militari indutâ
 5 in castra deduxerat, & apud principia confuprauerat: eius-
 que rei causa à Caligula Cæsare in vincula coniectus, fortu-
 nâ beneficio euaserat, illo mortuo. Idem apud Claudium
 Cæsarem cœnans, furtim poculum argenteum sustulerat.
 re cognita Cæsar eum postindie ad cœnam iterum vocauit:
 10 mandauitq; famulis, vt nullum ei argenteum, tantum figli-
 na pocula apponeret. Atq; hoc quidem ob moderationem
 animi Cæsaris comicam, tili magis quam ira dignum vide-
 ri potest. Ea autem quæ tū, cū Galbam in sua haberet ma-
 nu, & plurimum posset, perpetravit, tragicis malis atq; gra-
 15 uissimis calamitatib. quâ causam, quâ prætextum præbue-
 runt. Nymphidius enim, cū Gellianus, quem speculatum
 res Galbæ missum fuisse demonstrauimus, reuersus renunci-
 aſſet prætorio præfectum esse Cornelium Laconem, omnia
 autem nutu Iunij agi, sibi nunquam licuisse propius Galbæ
 20 assistere, aut seorsim eum cōpellare, sed suspectum fuisse ha-
 bitum ab omnibus & exclusum, perturbatus est: cōducisq;
 in vnum ducib. copiarum retulit, Galbam quidem bonum
 esse moderatūq; senem, verū suis minimè vt consilijs, a
 Iunio Lacone non rectè regi. itaq; priusquam hi ad eam, in
 25 qua fuerat antè Tigellinus, peruenirent potentiam, mitten-
 dos ad eum nomine militum legatos, qui ostenderent eum,
 si tantum duos istos suos amicos amouisset, omnib. gratio-
 rē iucundiorēq; aduenturum. Non persuasum hoc amicis
 Nymphidij. videbatur. n. absurdum & ineptum, senē impe-
 30 ratorē, instar adolescentis q. primum potestatis gustum per-
 ciperet, docere velle quib. vti vel nō vti deberet amicis. Itaq;
 alia rem aggressus via, Galbam per epistolas terret. Modò in
 vrbe multa esse parum fida atq; tuta, modò in Africa Clo-
 dium Macrum vecturâ rei frumentariæ interclusisse, modò
 35 Germanicas legiones rebus nouis esse intentas, modò de ijs
 quæ in Syria erant & Indar eadem referri scribens. Cū ve-
 rò Galba ei non magnoperè animum fidēque adhibe-
 ret, maturius inuadendi imperij consilium cepit. tametsi
 Clodius Celsus Antiochenſis vir prudens, eiq; beneuolus &
 fidus dehortaretur, dicens, sibi non videri vllam fore Ro-

mæ familiam, quæ Nymphidium esset Cæsarem appellatu-
 ra. Sed Galbam & alij deridebant, & Mithridates Ponticus
 in caluicem rugâsq; Galbæ ludens, In præsentia aiebat eū
 à Romanis pro aliquo haberi: vbi primum in cōspectu ve-
 nisset, omnes iudicatu-ros eas dies, quibus Cæsaris nomen
 obtrinuisset, opprobrium esse Romanis. Proinde statuerunt
 Nymphidium in castra circa medium noctis deductum, Im-
 peratorem salutare. Primus de tribunis militum Antonius
 Honoratus sub vesperam militibus suis congregatis, & seip-
 sum, & ipsos inculauit, qui tam breui temporis spacio tam
 sæpè mutati essent, nullo melioris conditionis assequendæ
 proposito, sed quasi genio quodam ab vna prodicione ad al-
 iam compellente. Iam priora (inquit) ista flagitijs Neronis
 excusare possumus: Galbam autem nunc prodituri, quam,
 quælo, ei cædem matris, aut vxoris obijciemus, quod sceni-
 corum ministeriorum aut tragœdiarum actarum dedecus?
 Et verò ne ipsum quidem Neronē propter ista deferere su-
 sinuimus: Nymphidio obtēperauimus, qui cum nobis de-
 stitutis in Ægyptum profugisse affirmauit. Vtrū ergo Nero-
 nis cædi Galbæ cædē addemus, & Nymphidiæ filio pro Cæ-
 sare accepto, ducentem à Liuia genus iugulabimus? quem-
 admodum antè Agrippina natum interfecimus: an verò di-
 guam factis suis pœnam Nymphidio irrogâtes, vltiores nos
 Neronis, Galbæ custodes fideles bonosq; præstabimus? Af-
 fensu sunt huic orationi omnes, accesseruntque etiam cæte-
 ros, hortantes vt fidem Imperatori datam seruarent: & ple-
 rosq; sibi adiunxerūt. Sublato clamore, Nymphidius siue (vt
 quidam tradunt) vocari iam se à militibus ratus, siue vt tu-
 multuantes & adhuc ambigentes compescere occuparet,
 multis prælucentibus facibus progreditur, orationem in li-
 bello scriptam à Cingonio Varrone gestans, quam memo-
 riæ mandarat, vt ea milites alloqueretur. Portas autē castro-
 rum clausas videns, multosq; circa muros in armis adflare,
 territus accedit, ac quid sibi velint, cuiusque iussu in armis
 sint, perquirat. Ab omnib. vna voce occlamatum est, Galbā
 se Imperatorem agnoscere: atq; ipse quoq; idem acclamat,
 suosq; ita facere iubet. Intromissus deinde per portam cum
 paucis, hasta petitur, quā Septimius obiecto ante ipsum scu-
 to excepit, reliquis autem strictis ensibus impetum facienti-
 bus, in militis cuiusdā tabernaculo obruncatur. cadauer in
 medio

medium protractum cancellis septum est, interdiuque spectaculo iis qui vellent propositum. Hunc ad modum Nymphidio sublato Galba recognita, etiā eos qui cum ipso conspirassent interfici iussit: nisi qui voluntaria morte supplicium anteceperant. In his fuit etiam Cingonius, quem orationis autorem fuisse diximus: & Mithridates Pōticus. Existimabatur autem vt non iniuste, ita præter leges tamen & morem populi viros haud obscuros indicta causa necauisse. alium enim imperij eius vultum vniuersi sperauerant decepti crebris magistratuum sermonibus de Galba. Auxit offensas mori iussus Petronius Turpilianus vir consularis, & notæ in Neronem fidei. Quod in Africa Clodium Macrum opera Treboniani, & Fonteii in Germania ministerio Fabij Valentis necauit, eo defendi potuit, quod ab iis arma exercitusque tenentibus sibi metuisset: sed Turpilianum senem nudum & inermem nihil obstabat quin audiret, si quā præ se ferebat moderationem re ipsa ostendere voluisset. Cū Romam cōtendens Galba, ab vrbe circa xxv. stadia abesset, tumultum offendit remigum, qui viam occupauerāt, & vndique circumfundebantur. Hos ē classe in legionem cōscripserat Nero: tūmq; aderant, & cōfirmari sibi ius militiæ volebant, magno cum tumultu & clamore signa legioni locūmq; postulātes, eosq; qui obuiam Imperatori processerant, neq; cōspici ab eo neq; exaudiri sinentes. Cū rem in aliud tēpus reiiceret, dilationem negationis esse speciē dicentes, succensuerunt, nullōq; clamandi sine facto insecuti sunt: nōnulli etiā gladios strinxerunt. In eos equitatum immisit Galba: quem illi nō subsistētes, partim statim, partim in fuga obtriti sunt. Neq; id lætum auspiciatū ve Galbæ *Remiges cali.*

30 men fuit, tot per cadauera in vrbe intrāti: & cū antē eum nōnulli propter senectam & imbecillitatē despexissent, vniuersis tum terribilis est visus. Vt autem ostenderet se plurimum à prodigalitate Neronis in donando abesse, videtur à decoro aberrasse. Cano enim nobili admodum tibicini ad

35 coenam canenti, cū probasset eum ac laudasset, iussis adferri suis loculis, quinq; aureos de iis deprōptos dono dedit, De suo ei se hos, non de publico largiri addens. Munera quæ Nero scenicis & xysticis dederat exigi seuerè, decima tantū parte iis relicta, iussit: cūmq; pauca admodū & lentè reciperet (pleriq; enim ea quæ acceperant, iam consumpse-

rant: utpote homines leues, & in diē viuentes) in eos in-
 rebar, qui ab iis aliquid vel emisissent, vel acceperissent, ab iisq;
 repetebat. Ea res cū finem nullum haberet, latēque & ad
 multos pertineret, malē audiuit Galba: in Iunium autē inui-
 dia & odium exarsit, qui cū pręparcum omnibus & illi
 beralem effecisset principem, ipse prodigē vtens omnia &
 acciperet & venderet. Nam quemadmodū Hesiodus iubet
 initio & sine dolij saturari: ita Iunius videns imbecillū esse
 & senem Galbā, eius fortuna se implebat, simul eam & in-
 cipere & desinere ratus. Inturia autē leni fiebat, cū & Iunius
 malē res administraret, & si quid Galba pręclarū institu-
 set, prohiberet atq; criminaretur. Cuius generis est, qđ cū
 Galba Neronianos emissarios necari iuberet, inter quos e-
 rant Eleus, Polycletus, Petinus, Patrobius, populūque iis
 per forum ad suppliciū ductis, plausum daret, pulchrāmque
 eam esse & Dns acceptam pompam vociferaretur, posciq;
 ad supplicium a diis hominibūque pręceptorem tyranni-
 dis Tigellinū: hunc Iunius, magnis ab eo muneribus ac-
 ceptis obligatus, pœnē eripuit. Et verō Turpilianus nullam
 aliam ob culpā, nisi qđ Neronem talem ducem non prodi-
 disset neque odio habuisset, morte est affectus: Tigellinus,
 qui & ita informauerat Neronem, vt cæde dignus esset, &
 ita a se institutum deseruerat atq; prodiderat, supplicium e-
 uasit. magno argumento nihil a Iunio donis datis nō posse
 obtineri. Nullum enim maiori desiderio spectaculū popu-
 lus expetierat, quā vt Tigellinum videret ad suppliciū du-
 ci: & cū in theatris & circis finem eius flagitandi nullum
 faceret, edicto Imperator increpuit, Tigellino affirmans
 haud diuturnā vitam fore, mōxque eum tabe extinctum iri:
 populūque deprecans, ne suo imperio seruitiē maculam ad-
 spersam vellet. Grauitur hoc ferēte populo, ludibrio illi eius
 indignationem habentes, Tigellinus quidē pro salute sua
 sacrificauit. Iunius autem a cœna ab Imperatore digressus,
 ad Tigellinum comesatum iuit, filiam secum suā, tum ma-
 rito viduā, ducens. ei mulieri Tigellinus decies n s propi-
 nauit, pellicūque; primatiē iussit, vt monile suū collo detra-
 dūm ei appēderet, quod n c. sester tia æquasse precio tradi-
 tur. Inde factum est, vt etiam quæ rectē agerentur, in repre-
 hensiones incurrerent. ad eđ vt cū Gallis, qui Vindicē ad-
 iuuerant, tributum esset remissum, & ciuitas donata: vide-
 rentur

*Tigellinus
 a Iunio ser-
 uatus.*

rentur id nō humanitate Imperatoris, sed corrupto munere
 5 tribus Iunio impetrasse. Hæc erāt, quæ pōpulo Galbæ domi-
 nationem inuisam reddebant. Milites verō, cū donarium
 promissum non persolueretur, initio spes ducebat, fore ut si
 10 non totum, attamen quantum Nero dedisset, à Galba acci-
 perent. Sed ubi eorum indignatione percepta vocem ma-
 gno Imperatore dignam emisit Galba, Solum se militem
 legere, non emere: immane contra se militum odium con-
 citauit. non enim ipsum modò priuare eos promisso, sed le-
 15 gem etiam exemplūque idem faciendi subsecuturis Cæ-
 saribus præscribere censebant. Sed motus Romæ adhuc ob-
 scuri, & ipsa Galbæ præsentis verecundia cūctationem he-
 sitationemq; nouas res molientib. inieciēbat: reprimeban-
 20 turq; utcunque & tegebantur odia, quodd nullum apertum
 mutandarum rerum extabat initium. Cæterum qui prius
 sub Virginio, tum sub Flacco in Germania merebant mi-
 lites ob pugnam contra Vindicem factam magna sibi præ-
 mia polliciti, neque adepti quicquam, à ducibus suis placari
 25 nullo modo poterant: Flaccum aut corporis ob cōtinen-
 tem podagrā impotentē, rerūq; ignarum, omnino con-
 temnebant quin & ludis quibusdā tribunis militum & cen-
 turionibus more Romano Imperatori Galbæ felicitatem
 optātibus, pleriq; milites initio tumultuati, perseuerantib.
 30 illis in voto, oclamauerunt, Siquidē dignus est. Mitteban-
 tur & literæ ad Galbam à procuratorib. quibus ostendebāt
 Tigellino subditas legiones eodē genere cōtumeliæ uti. Ita-
 que sibi metuens Galba, ut qui non ob senium modò, sed or-
 bitatē contemptui haberetur, adoptandū sibi aliquem pri-
 uatum iuuenem, regniq; successorem faciendum statuit. E-
 35 rat M. Otho vir genere non obscuro editus: verū ita luxu
 & voluptatum studio ab ineunte ætate perditus, ut infamia
 pari vix quisquam Romanorum laboraret. Quemadmo-
 dum verò Alexandrum Homerus sæpenumerò ab vxore
 nominat, vocatque maritum

*M. Otho
 qualis.*

35 *Tyndaridos pulcris ornata criminibus :*

quodd is vir nihil aliud ad gloriam sibi conducens haberet:
 sic Otho Romæ nuptiis Poppææ nobilitatus fuit. Hæc Ne-
 40 ro, matrimonio tum iunctam Crispino, amabat: adhuc ta-
 men vxorem suam reuerēs, ac matrem metuens, Othonom
 submitit, qui de adulterio Poppæam sollicitaret. (Nam
 Othone

*Poppaea a
dultera.*

*Strudū in
Galbam.*

Othone amico & cōiūctore utebatur, luxuria eius delectatus: ac sæpe ab eo sordium & illiberalitatis causa diēteris impetitus, gratum habebat. ac ferunt quodam tempore Othonē, cū à Nerone esset preciosissimio vnguento adpersus, quo is se vñxerat, postridie conuiuio accepto domi suæ Nerone, subitò variis ex partibus argenteos aureosq; aperuisse tubulos, qui aquæ instar vnguentum effunderent.) Eam Otho primum spe de cōiugio Neronis illectam consumpauit, utq; ad se, marito deserto, veniret persuasit. cū verò ad ipsum vxoris nomine se ea contulisset, nequaquam 10 a quo animo tulit, iuxta secum ea Neronem potiri: ferūntque hanc æmulationem Poppæe quoq; non ingrātā fuisse, quæ & absente Othone Neronem excluderet: siue vt satietati voluptatis præueniret, siue à nuptiis Cæsarianis abhorrens, & tamen ob impudiciā amorem eius non recusans. 15 Certè in discrimen vitæ propter eam Otho venit: misūmq; est, Neronem qui propter Poppææ nuptias vxori fororūque necem intulisset, Othoni pepercisse. Sed id beneuolentia Senecæ consecutus est, qui Neroni persuasit, vt eum in Lusitaniam præfectum prouinciæ mitteret. Non ingrātum se 20 ibi, neque molestum subditis Otho gessit: nimirum intelligens eam præfecturam sibi ad prætexendam exilium, inuidiamque eius nominis mitigandam obtigisse. Cū defecisset Galba, primus ipse omnium præfectorum ad eum defecerat; & quantum auri argentique in vasis mensisque habebat, ad eum attulerat, ac nomisima tum eudenti concidendum præbuerat: famulos etiam, qui periti essent eleganter administrare ea quæ ad vitæ vsum quotidianum pertinent, dono dederat. cæteris quoq; in rebus fidum se ei præstitit, singularemque rerum petitiā ei probauerat, inq; 30 itinere Romam versus per multos dies eodē vehiculo cum Imperatore vectus erat. Ea consuetudine itineris etiam T. Iunium sibi deuinxerat colloquio & donis, eoque maximè, quòd primas illi vtrò partes concedebat. itaq; & secundas ipse eius opera obtinebat, & citra inuidiam suam indigentibus operam nauabat, comem se omnibus & facilem præbens. præsertim verò militibus ad stipulabatur, eorūque multos ad gradum aliquē honoris & imperia prouehebat, quā ipso ab Imperatore id impetrans, quā Iunij & libertorū Iceli Asiaticiq; (qui tum in aula plurimum poterant) opera 35 confi-

efficiens. Quoties Galbam conuiuio acciperet, semper
 cohortem custodię causa comitantem viritum aureo dona-
 bat: quo facto cum videretur honorare Cæsarem, occulte
 corrumpebat, sibiq; deuinciebat milites. Enimuero Galba
 5 deliberante de successore adoptando, Iunius Othonem com-
 mendauit: ne hoc quidem gratis. nam ita cum Othone pa-
 ctus erat, ut is filius Galbę & successor designatus, filiā suam
 vxorem duceret. Galba autem nunquam obscure præse tu-
 lerat, magis de re publica se, quam de priuata esse sollicitū,
 10 neq; eum adoptare sibi velle qui ipsi iucundissimus, sed qui
 reip. esset comodissimus. imo ne suarū quidem facultatum
 heredem ex asse videbatur delecturus Othonem, intempe-
 rantem sciens esse, & luxuriosum, & a re alieno bis milles
 sestertiū obrutum. Itaq; Iunio placide & cum silentio au-
 15 dito deliberationem aliud in tempus distulit: se, & Iunium
 coss. in proximum annū designauit: omninoq; existimaba-
 tur tunc imperij successorem proditurus: & militibus de O-
 thone posthabitis omnib. aliis ad eam rem euehendo spes
 grata erat. Cunctantem adhuc & deliberantem Galbā, Ger-
 20 manicorum militum defeccio erumpens occupauit. Ete-
 nim cum vniuersi milites ob non representatū donarium
 Galbę essent infensi: Germanici peculiaries afferebant cau-
 sas. abiectū ignominiosē Virginiū Rufum: Gallos, qui con-
 tra ipsos pugnassent, donis affectos: punitos qui nō adiun-
 25 xissent se Vindici: huic soli Galbam gratias agere, eiusque
 defuncti colere honorē, & publicis exequiis venerari, qua-
 si eius opera esset Romanorum Imperator creatus. His ser-
 monibus apertē iam tota castra peruagantib. Kal. Ianuarię
 30 appetierunt. Ibi milites, cum eos Flaccus cōuocasset ut pro
 more in nomen Imperatoris iurārēt, statuas Galbā aggres-
 si deiecerunt: cumq; in S. P. Q. R. nomen iurassent, digressi
 sunt. Secundum hoc ducib. metus incidit, ne ob contem-
 ptionem magistratū ad defectionem res deueniret. Tum
 35 alium ducē querimus: & præsentem recusamus: ut nō Gal-
 bam, sed omnino imperium videamur subterfugere. Quin
 nos Flaccum Hordeoniū, qui nihil est aliud quam vmbra &
 imago Galbę, missum facimus. abest vnius diei iter à nobis
 Vitellius, alterius Germaniæ præfectus, patre natus cēsura,
 & tribus consulatib. insigni, & eo, qui collega quodāmodo

Claudij

„ Claudij Caesaris in imperio fuerit: atque ipse paupertatem,
 „ quam nonnulli probro dant, præclarū habet bonitatis ma-
 „ gnamque itisq; argumentum. Agendum, deligamus hūc du-
 „ cem, ostendam usq; omnibus hominibus nos in deligendo
 Imperatore Hispanis Lusitanisq; esse potiores. Hæc cum
 partim militum probassent, partim nondum accepissent,
 quidam signifer occultè se subducens Vitellio noctū indi-
 cavit, multos secum habenti conuiuas. Rumore in castra
 dilato, primus Fabius Valens vici dux legionis postredie
 multis cum equitibus accurrit, & Vitellium Imperatorem
 salutauit. At verò Vitellius, qui prioribus diebus recusare
 cum titulum visus fuerat, magnitudine Imperij deterritus:
 tunc (vt ferunt) vino cibq; meridianò repletus, progressus
 est, repudiatoque Caesaris nomine, Germanici accepit. Sta-
 tim quoque Flacci legiones præclaris illis & ad populi in
 rempublicam accommodatis iuramentis valere iussis, Vi-
 tellio Imperatori se facturas imperata sacramento confir-
 matunt. Hoc modo Vitellius in Germania Imperator est
 declaratus. Ceterum Galba nunciis de ea rerum mutatio-
 ne allatis, adoptionem non vlterius differendam sensit: a-
 nimaduertensque alios Dolabellæ, alios Othoni eum lo-
 cum ambire, neutrum eorum probans, subitò, nullòque ea
 de re verbo facto Pisonem acciuit, Crassi & Pisonis (quos
 Nero interfecerat) sobolem, iuuenem cum indole ad vir-
 tutem optimam, tum moribus compositis ac grauib; prædi-
 tum: eumque vt Cæsarem & successorem sibi designaret, in
 castra descendit. Non magna modò egredientem prodigia
 sunt consecuta: sed & cum in castris quædam perorare de
 scripto recitata cœpisset, tanta fulgurum tonitruumque
 multitudo, tatum imbris & caliginis incidit urbi & castris,
 vt facile appareret infausam adoptionem diis non proba-
 ri. Erant sanè & militum animi tum maleuolentia suffusi,
 quod ne tum quidem promissum ipsis donū representaretur.
 Qui negotio ei intererāt, ex vultu Pisonis vocēq; cōij-
 ciebant eum sine vlla animi temeraria elatione, cogitabun-
 dum tamen accipere id beneficium: idq; mirabantur. In O-
 thonis etiam vultu multa apparebant indicia, in fensio ani-
 mo ferentis spe tantæ se frustratū rei: qua primus omnium
 dignus habitus, & tantum nō potitus, q̃ ea excidisset, id o-
 dij & maleuolentiæ Galbæ erga se documentum interpre-
 tabatur.

*Vitellium
 peritū de-
 ferunt.*

tabatur. Veruntamen & Pisonem metuens, & Galbæ iratus,
 & Iunio succēfens, variis repletus affectib. discedebat. Ne-
 que enim vates, & Chaldæi, quos secum habebat, planè eum
 desperare patiebantur: Ptolemæus præsertim, qui sæpenu-
 5 merò magna cōtentione affirmarat, Nō occisum iri à Ne-
 rone Othonē, sed superfuturū ei, & Romanis imperaturū.
 quorum prius cū exitus probasset, ne de posteriori quidē
 abijciendam spem cēlebat. Eodē plurimum cōducebant ij,
 qui occultè vicē eius dolebant, tanquā malam gratiam ex-
 10 perti: & plurimi de lociis Nymphidij ac Tigellini, olim ma-
 gno honore potiti, tunc abiecti & humiles, ad eum se con-
 ferebant, augentes iritantesque eius indignationem. inter
 hos erāt Veturius & Barbius, Opion alter, alter Tesseranus
 (ita nomināt eos qui per nuncios & speculatores ministeria
 15 obeunt) atq; vñā Onomastus Othonis libertus alios pecu-
 nia, alios pollicitādo subruebat, iam antè nutantes, & op-
 portunitatē quērentes, alioquin enim exercitus sanus qua-
 14 triduo corrumpi non potuisset: neq; inter adoptionē & cē-
 dem Galbæ plus temporis interuenit. Sexto enim die in-
 20 terfectus est cum Pione: qui dies est A. D. XV III. Kal. Febr.
 Eo die cū amicis præsentibus in Palatio rem diuinam fa-
 ceret Galba, Vmbrius aruspex simul atque exta in manus Galbæ &
 sumpfit, non obscure, sed palam magnum motum, capitūq; casus.
 Imperatoris impendens periculum se videre dixit. Et qui-
 25 dem deus Othonem Galbæ tantū non manu apprehen-
 dendum obrulerat, adstantem à tergo Galbæ, animūq; per-
 turbato, & vultu præ metu variè sese mutāte ea audientem,
 quē Vmbrius referebat atque ostendebat: cū subito ei a
 tergo adsistens Onomastus libertus, domum redire, & ibi
 30 operriri fabros iussit. hæc autem erat tessera temporis, qua
 edita securrere Othonem militibus conuenerat. Itaque di-
 cēns se domum antiquam emissē, & ciuib. velle quę ruinosa
 viderentur ostendere, discessit: ac per Tiberij domū descen-
 dens in forum perrexit, quo loco milliariū est aureum. Fe-
 35 runt primos, qui eum ibi exceperint, Imperatorēq; salu-
 tarint, haud plures xxiii. fuisse. itaq; etiā nequaquā mollis
 homo, aut animi effeminati, sed audax intrepidusq; rebū
 aduersis, tamen tunc pettimuit. profugere volēte, milites
 nō dimiserunt, sed nudis gladiis lectica prouehi iusserunt,
 quanquā identidem clamitantē, actum de se esse, & lectica-
 rios vñ

rios vt accelerarent fugam hortantem. nam & exaudiuerāt
 quidam vocem, ob paucitatem eorum qui aderant facino-
 ri, mirantes magis quàm perturbati. Ita per forum vehenti,
 alij totidem occurrerunt, hisq; deinceps terni quaterniq;
 alij se adiunxerūt, tandèmq; agmine facto vniuersi, strictos
 protendentes gladios, Cæsare eum appellârunt. Ferunt tri-
 bunum militum Martialem, cui eo die custodia castrorum
 cesserat, non cōscium conspirationis, inopinata tamen re
 perculsum, eos intromisisse. Othoni, vt semel in castra per-
 uenit, restitit nemo: quos enim quæ agerentur latebat, ij,
 dedita ad hoc opera, inter conscios detenti sparsim singuli
 biniq; metu primum, deinde persuasi accesserunt. Statim hæc
 in Palatium Galbæ renunciata sunt, præsentē adhuc aruspice,
 inanibûsq; extra tenēte: aded vt qui omnino ab id genus
 diuinatione alioquin abhorrerēt, tum prodigium admira-
 ti sint. Concurrente à foro promiscua turba, Galbæ Iunius
 & Laco & libertorum quidam cum strictis ensibus adstite-
 runt: Piso progressus stipatores aulâ custodiētes cōpellauit:
 missus etiâ Celsus Marius vir egregius ad præoccupandos
 animos Illyricę cohortis in porticu Vipsania tendētis. Cū
 progredi Galba veller, Celso etiâ & Lacone hortantibus, a-
 critérq; Iunium id prohibentem increpantibus, rumor in-
 crebruit, Othonem in castris esse cælum: paulóq; pōst Iu-
 lius Atticus spiculatorum non postremus visus est stricto
 cum gladio accurrere, interfectum à se Cæsaris hostem vo-
 ciferans, ac per obstkates ad ipsum Galbam se proripuit, gla-
 dium ei eruentatum demonstrans. cūque in eum intuitus
 Galba dixisset, Et quis tibi hoc mandauit? fides, respondit,
 & sacramentum quo me obligauit: acclamante populo, be-
 ne factum esse, atque applaudente. Proinde cōscensa lecti-
 ca prouectus est Galba, vt Ioui sacrificaret, & se ciuib. osten-
 deret. Vt in forum peruenit, aduersi instar venti fama ei oc-
 currit, potitum castris Othonem. Caterū in tanta ho-
 minum turba, aliis retrò ire, aliis procedere, aliis bono esse
 animo, aliis diffidere rebus iubentibus, iactata hinc inde
 tanquam æstu & vndis lectica, & modò hâc, modò illâc in-
 citata: primum equites, deinde armati pedites per Pauli Ba-
 silicam in forum irruerunt, contentâque voce vno omnes
 ore priuatum cedere è medio iusserunt. Pleriq; cursim abie-
 runt, non vt fuga dissipati, sed porticus & edita fori loca
 tanquam

*Menda-
 uim.*

tanquam spectacula causa occuparunt. Primus Atilius Ver-¹⁵
 gilio statuat Galbæ humo affixit : eo initio belli arrepto,
 eminus iaculis lætica impetita est : cumq; id frustra esset,
 strictis in eam gladiis impetum fecerunt. Nemo Galbam
 5 tutatus est, nemo substitit, vno excepto viro, quem solū tor
 inter hominum millia dignum Romano imperio sol con-
 spexit. Sempronius is fuit Densus centurio, nullo priuatim¹⁶
 Galbæ beneficio obstrictus : sed pro legibus tum honestate-
 que propugnans, ante læticam adstitit, primumq; arrepto
 10 palmite vitis, quo meritos verberibus plectunt cēturiones,
 eum attollens alta voce monuit incurrentes, vti Imperato-
 ri parcerent : deinde manum iis cōferentibus, stricto gladio
 tantisper vim propulsauit, dum poplitem suffossus conci-
 deret. Galbam lætica apud Curtium lacum delapsus (erat
 15 autem thorace armatus) in cursione facta milites i cibus im-
 petierunt : atq; is iugulū protendens, Hoc agite, dixit : si qui-
 dem ita ex re est populi Romani. Multa accepit vulnera in
 pedes & brachia : iugulatus est, vt pleriq; memorant, à Ca-
 murio XV. legionis milite : alij Terentio adscribunt, alij
 20 Arcadio, alij Fabio Fabulo. atq; hunc ferunt caput Galbæ
 occultatum vestimēto, quod ob caluitiem teneri aliter vix
 posset, ad Othonem detulisse : ac sociis non permittentibus
 celari, sed omnibus ostentari tam præclarum facinus volē-
 tibus hastæ præfixisse senis caput, eiusq; principis boni, P. O-
 25 tificis max. atq; consulis, eaque vibrata Bacchæ in modum
 discursisse subinde se conuertentem, quassantemq; hastam
 cruore madentem. Othonem verò capite Galbæ viso fama
 est exclamasse, Nihil est hoc, ò cōmilitones : caput Pisonis
 mihi ostendite. Estq; id paulo pōst allatū : nam Piso saucia^{Piso perijt.}
 30 tus fugerat, insequentibusq; hostibus à Murco quodā apud
 ædem Vestæ interfectus fuerat. Iugulatus est etiam T. Iu-
 17 nius, fassus se coniurationis in Galbam socium fuisse : quip-
 pe necari se præter Othonis sententiam vociferabatur. ni-
 hilominus & huius caput, & Laconis amputata milites ad
 35 Othonem attulerūt, præmium eo nomine poscentes. nam
 vt ait Archilochus,

--- Septem enim

Cecidere cæsi : fortuito in hos pede

Incidimus. at nunc mille nostrū Sindians

Eadem sibi illam.---

Marius
Celsus ca-
pitus.

ita nunc quoque multi qui cædibus non interfuissent, mani-
bus & gladiis cruentatis se ostentarunt Othoni, libellisque
exhibitis præmia poposcerunt. Sane ex iis libellis CXX.
postea inuenti sunt, quos omnes Vitellius conquestos in-
terfecit. Venit & Marius Celsus in castra: quem cum multi
accusarent, quod ad ferendum Galbæ auxilium milites ef-
fet hortatus, & vulgus necare vellet, Otho prohibuit: non
ausus tamen contradicere palam, Non tam subito occide-
dum dixit, sed prius ex eo quædam necessaria cognitu ex-
piscanda iussit itaque; victum asseruari, iisque tradidit, quorum
summa credebatur fides. Statim concilium est cõuocatum,
& quasi vel ipsi mutari essent, vel dii alij extitissent, conue-
nientes in vnum, iuramento se in nomen Othonis obstrin-
xerunt, quod ipse quoque iurauit, & non seruauit: Cæsaremque
eum & Augustum appellauerunt, cadaueribus capite trun-
catis consulari vestitu adhuc in foro iacentibus. Capitibus
cum ad satietatem usque se oblectassent, Iunij caput filie eius
bis mille denariis vendiderunt: Pisonis, vxori reddiderunt,
non quidem cranium requirenti: Galbæ, Patrobij seruis
dono dederunt: iique id cum omnibus contumeliis ludi-
briisque affecissent, in Sestertium proiecerunt. locus est, quod
abiiciuntur eorum capita, qui Cæsarem iussu supplicio af-
ficiuntur. Corpus Galbæ permissu Othonis Eluidius Priscus
sustulit, noctu Argius libertus sepeliuit. Hac usus est for-
tuna Galba, vir neque generis nobilitate, neque opum splendo-
re cuiquam equalium secundus, & qui sua ætate quinque Im-
peratoribus rerum potitis omnium eorum in principatu cum
honore & gloria vixerit: magisque autoritate sua quam po-
tentia Neronem exciderit. cumque socios eius facinoris ne-
mo Imperatoris titulo sit dignatus, quanquam id sibi ipsi
arrogarent: Galba & vocatus est ad imperium, & oblatum Im-
peratoris titulum accepit. Vindicisque conatui nomen suum
accommodas, qui prius nouarum rerum molitio & motus defe-
ctioque appellabatur, effecit, ut ducem autoritate præditum nactus
pro ciuili bello haberetur. Itaque non se res in sua accepisse po-
testate ratus, sed se ipsum iis tribuisse, ita imperare iis, quos
iam Nymphidius Tigellinusque cicurauerant, ut priscis Ro-
manis Scipio, Fabricius & Camillus, intedit. Subritus autem
senectute, in armis & castris quidem integrum se & antiqui
moris imperatorem gessit: Iunio autem, Laconi & libertis
omnia

omnia venalia habētibus se cōmittens atq; dedens (quem-
admodum Nero insatiabilibus sese hominibus addixerat)
neminem qui imperium eius desideraret, multos qui mor-
tem miserarentur, reliquit.

SIN GALBAM PLVTARCHI, IN-
TERPRETIS ANNOTATIONES.

1. Vti demonstrauius.]

- 10 **G**alba, qui in Romano imperio successit Neroni, et as-
norior est, quam vt de ea quicquā dicendum sit. Appa-
ret aut ex hoc loco, Neronis quoq; & vt opinor, etiam pra-
cedentiū Imperatorū vitas ab autore nostro descriptas fuisse:
atq; haud scio an omnium, vsque ad Traianum. Nam sub
finē Othonis satis innuit, Vitellium à se scriptum. Qui librō
15 quanto historiariū detrimento interciderint, facile iudicāt
periti. nam quis nō animaduertit, quā multa apud Tacitū,
Suetoniū & alios desiderentur, quae vel ex his reliquijs sup-
pleri possint? Equidē hinc apparet, vitas Imperatorū à Plu-
tarcho non à prima etate repetitas: sed ea tantū ab eo per-
20 tractata, quae ipsis ad imperiū adspirantibus, eoq; potius de-
inceps euenerint. Vt fortassis ista vitæ non huius operis fue-
rint: sicut & oratorū vitas Atheniensū idem seorsim descri-
psit. Nihil enim est in ijs, vt taceam cetera, παρὰ τὴν ἀλλοτρίαν.
2 **G**entis Seruiorum.] τὸν σεργίων οἶκον. Seruius Sul-
25 pitia genti ita fuit vsitatum prænomen, vt prope pro gentili
vsurpatum nomine, vel ex hoc loco appareat. Non enim te-
mere dixerim, Plutarchum ignorasse Sulpiciam gentē fuisse,
ex qua Galba hic extiterit. Qui autem Sergium eum fa-
ciunt, imperitia labuntur: & iam pridem eorum est explo-
30 sus error, quātumuis in Suetonijs, & alijs codicibus retinea-
tur. Catulus, de quo hic fit mentio, est Qu. Lutatius Catulus
Capitolinus, Caesaris Iulij & Pompeij equalis, de quo eius
temporis historia consulenda.